

tior. Sed pie actum. Mederis non tantum animæ vascula, quantum labe-
scenti succurris fidei. O probe, medullitus enim subministras Apollinea
(arte); peccatum cum generat (?) morbos, immo morborum principem,
mortem, sic iugulas peccata ut corporum lues. Fui huius tempestatis tur-
binibus, stomacho et doctrina, variis doctrinæ intempestivarumque fæ-
cum^{e)} fluctibus quassatus, quorum tua ope et medicamine sublevatus ha-
bui secessus septem, salva Tua Reverentia, nonnisi omnes aqueos, pauca
viscositate interserta et alba. Aloes qua ventris deiectionem exercui, satis
convenienter et membrorum virtutes consolidat et perditas restaurat. Op-
timo maximo deo gratias, qui et medicos venerandos dictat. Valeat
Dominatio Tua, nostræ patriæ facile splendor. Ex eremo Goldaich,
nonis Iunii 22.

Pelagius de Lapide, parrochus crisiatus.

Eximio doctori Ioachim Vadiano.

In S. Gallo.

a) „sanam doctrinam“. — b) „Am Rande stehen etwa fünf nicht zu entziffernde Worte.“ — c) „imo“.
— d) „legittimo“. — e) „e“ für „æ“.

1) Von *Pelagius Amstein*, dem nachmaligen Pfarrer in Trogen, sind in unserer Samm-
lung vier Briefe aus den Jahren 1522—1550 vorhanden.

II 83.

313.

Heinrich Glarean¹⁾ an Vadian.

Basel. 1522. Junii 10.

Sein Befinden und das des Erasmus. Befriedigung über seine Stellung in Basel. Er
verspricht, sich des Sohnes des Casæus anzunehmen. Auskunft über die Aufnahmebedin-
gungen für den Sohn des Stadtschreibers von St. Gallen. Seine Heiratsprojecte. Einladung
nach Basel zu kommen. *Seckelmeisters (Leonhard Keller)*

Vadiano suo Glareanus S. D.

Scripseram, nec admodum multi elapsi sunt dies, suavissime Io a-
chime, ut valeam, ut vivam, ut valeat Erasmus literarum parens; ve-
rum an eas acceperis^{a)} literas, ignoro. Scribam itaque et nunc, sed bre-
viter. Valeo recte, valet Erasmus, nisi quod ingravescens ætas non-
nihil viro incommodet. Rem familiarem occepi. Sed enim — pro Iuppiter!
— quot hic curas, quot ærumnas^{b)} vidi. Cætera satis felicia, civitas Ba-
sileiensis favens mihi, iuventus etiam bonæ spei. Cum filio domini
Casei ita benigniter agam, ut sentiat, tuam commendationem non pa-
rum illi profuisse. Deest illi dictionarium Græcum, sine quo difficulter
discet, ut scis, Græce. Grammaticam habet. Est iuvenis elegantis ingenii

et qui Rhætum^{o)} præceptorem habuit non pænitentium. Sed heus tu.
In alteris literis hoc quoque annotaveram, scripsisse ad me consulem
Madium Glareanum, ut quæstori oppidi vestri scribere dignarer de
conditione hic et mensæ et domus. Sat duxeram tunc vel tibi scribere.
Si conditionem meam ferre potest, non recuso vel nomine tuo; nam in
mensam non minus 26 aureos accipio, sed addo hospitium et laborem
erudiendi. Cætera ipse sibi constituat. Sin apud civem aliquem esse volet,
de labore docendi quattuor coronatos accipio, atque id fortassis satius
illi est. Verum consulat in medium; ego, quod volet, lubens fecero. Et
sunt, qui liberos nusquam libentius habent quam apud me; sunt item, qui
alibi eos libentius. Ego, quod res habet, apud amicum libere confiteor: in
mensam invitus accipio eos, qui non sunt prompti solvendo. Id autem
causæ est: lanii^{d)} morosi, pistorum officium non omnino fidum. Ego æs
alienum conflare aliorum de causa nolo. Satis alioqui saxum magnum
vorso, ait ille. Tu illi loquitor, si commodum videtur. Non quod ambiam;
ea enim de causa ad eum scribere nolo. Sed ne vel consulem Madium
incuset indiligentiæ, vel me arrogantia inofficiosæ. De uxore ducenda
nihildum mutavi, nisi quod istam Tigurinam prorsus ex animo abieci
meo, neque id unam dumtaxat ob causam. Atque utinam tu vel semel
venias Basileam, ut Erasmus videas, hominem tui amantissimum.
Confabularemur suavissime quidni? occiderem te nugis. Sed ineptiarum
satis; iam desino esse molestus. Vale et me ama. Tum domino Caseo
dicas, me filio non defuturum; nam ita tu orasti, immo vero exorasti, cui
parendum etiam, si nudum saltare iusseris. Basileæ, ex ædibus nostris,
anno Christi MDXXII, ad quartum Idus Iunias.

Domino domino Ioachim Vadiano, viro humanissimo doc-
tissimoque, amico incomparabili.

In oppido S. Galli.

a) „acceperis“. — b) „ærumnas“. — c) „Rhætum“. — d) „laniei“.

1) Vrgl. Brief 308.